

manicæ, Francicæ, Hispanicæque ditionis facti sunt. Tantum abest, ut aliquis ense coactas gentes constituisse Victores in Reges affirmaverit. Vid. *Arnisaum c. 1. Lib. de Autor. Princip. semper in-viol. §. 10.*

XX. 2.) Neg. consequentiam Majoris. Nam v. gr. Cardinales Pontificem summi Sacerdotii infulis cingunt, inque papalis imperii fastigium attollunt. Nullus verò Pontificiæ Sectæ adhærens mihi largietur, Papam causam suam constituentem pro superiori agnoscere. Sic Imperator Romanus hodiernò ævo ab Octo-Virali Collegio, ut olim à Militibus, eligitur. Quis autem cerebri tam perversi, qui Electores Militesve Imperatore superiores pronunciet? Certè cum armatorum multitudo mutationis semper avida *Valentinianum* sollicitasset, ut quempiam in consortium Coronæ assumeret, respondit: *ut me ad Imperium vobis elegeritis, in vestra situm erat potestate. At verò postquam me jam elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere. Mibi, qua facienda sunt, cogitare.* Vid. *Sozom. lib. 6. Nicephor. lib. 11. c. 1. H. Grot. c. 1. Arnif. de jure Majest. Lib. 1. c. 3. p. 13. nec non Pufendorf. Lib. 7. c. 6. §. 6.*

XXI. Succedit Ratio II. Q. est propter alium, ille eò inferiorem, habet potestatem.

Atqui Rex est propter alium, scil. populum. E.

Resp. 1.) Neg. Minoris universalitatem; Quoddam enim Imperium spectat vel ad commodum privatum Regentis, ut *Dominicum*, quoddam ad mutuuum emolumentum, ut *maritale*. Sed trans-eat Minor. Jam in Majorem inquiramus. Dicitur:

Quicumque est propter alium, ille eo est inferior. Subsumo: Præceptor est propter Discipulum: E. hic nobilior Magistro? Paterfamilias propter familiam; anne verò familiæ aliqua particula domini in patremfamilias competit? minime.

*Dist.* E. cum Arnisaæo inter alicui præfici & subjici. *Applico*: & *limito*: Quicumque subjicitur alii, (non præficitur,) ille est inferior. Atqui Rex. &c. Sic negatur & pernegatur Minor propositio.

XXII. Excipit turba Adversariorum: hâc ratione quendam vitiiis conspurcatissimum hominem nulli rationem de male vita per-acta